



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ
Deuotæ**

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

De turpitudine peccati ex pictura Diabolorum. Colloq. LXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*De turpitudine peccatorum in pictura
Diabolorum elucete.*

COLLOQUIVM LXXVII.

THEO. **E**T quoniam tanti refert turpitudinem peccati exactè cognitam & perspectam habere, videamus iam nunc etiam, quomodo illa in pictura Diabolorum elucescat: qui etsi spiritus meriti sint, & penicillo materiali exprimi non possint, nihilominus tamen viuis quodammodo coloribus adumbrari, nobisque ob oculos statui posse videntur. Quis ergo non videt quomodo in omni memoria pictores spiritus istos representarint, qui peccato mortui & sempiternæ morti adiudicati, ex pulcherrimis Angelis foedissimi Dæmones fuerunt effecti? quis non videt quam deformi colorum figura eos describant, quam ex diuersis animalium partibus, illos fingant atque coagmentent, quò præuaricatores istos Spiritus & perduelles Angelos rectè delineent?

neent? Neque enim existimandum est, eos realiter cornua hircorum partes Gryphium, alas & caudas Draconum habere, dentibus vrsorum, pedibus equorum aut bouum, sicut ferè pinguntur, esse instructos. Vtitur autem materiale nostrum penicillum omnibus istis partibus, vt manifestè nobis turpitudinem internam & spiritua- lem, Geniorum istorum demon- stret. Quemadmodum etiam scri- ptura sacra, sæpè Leonum, ser- pentum, & monstrorum mari- norum nomine homines ac Di- bolos nobis depingit, illudque et- iam in virtutibus ac vitijs inter- dum obseruat. Ita enim apud Da- nielem Darius per arietem signi- ficatur, Alexander Magnus per Hircum denotatur, & Herodes in Euangelio vulpes, Diabolus Leo rugiès à Sancto Petro nuncupa- tur. Ita Hagiographis inuisibilia per ea quæ in sensus incurrunt, describun- tur. Ita Prophetæ per ænigmata lo- quuntur, eorūq; verba creature sūt. Ita quoq; quæ ab Aegyptijs scribebantur, Hiero-

Dan. 8.

Luc. 13.

23.

Pet. 3. 8.

Iob. 41.

Hieroglyphicis plena erant. Porro
 imagines coloribus adumbratae, pi-
 cturae oculorum sunt; quaeque ver-
 bis & sermone constant, aurium
 quaedam effigies possunt appellari,
 siquidem ambabus anima vititur,
 & ab ijs diuersimodè eruditur. Ita
 exempli causa Eurypedes versibus
 suis sacrificium Iphigeniae nobis
 describit, Timantes autem colore
 depingit; ita Plutarchus Historiam
 Darij interfecti in Alexandro con-
 textit, a Philoxenus autem penicillo
 adumbrat; ita ut alter aures, alter o-
 culos doceat atque informet. Atque
 hinc etiam est quod picturam muti
 poema dicimus, & poema contra pi-
 cturam loquentem appellamus. Ve-
 rum quis amabo iam non videt tur-
 pitudinem, deformitatem, & sordes
 peccati, ubi cunq; demum iam il-
 lud reperiatur? Fecit illud in caelo
 Diabolos, in terra mortem, sub ter-
 ra autem Infernum. Potesne imagi-
 nari tibi aliquid hoc artifice fac-
 dius? hoc fabro nigrius, hoc au-
 thore aliquid detestabilius? Heu,
 quid ille secum non fert, qui unico
 mortali

a Plut. in

Alex.

Plin. l. 33.

c. 10.

Arist. 3.

de an. c. 7

et s. l.

post. c. 14.

mortali peccato oblitus ac inquinatus est? quibus non periculis ille animam suam exponit? quibus non sordibus inquinat? in quam denique non abyssum illam præcipitat? verum continuemus paululum sermonem istum de hac deformitate & comparatione inter primam secundamque mortem instituta, manifestius iram Dei inspiciamus, & abominationem peccati cognoscamus, illudque tanto amplius fugiamus ac detestemur.

De turpitudine peccati ex comparatione primæ & secundæ mortis elucet.

COLLOQUIVM LXXVIII.

VERVM quò melius sermonem **THEO.** istum super peccati deformitate concludamus, consideremus iam nunc illam etiam in comparatione duplicis mortis, primæ videlicet & secundæ: vt quemadmodum in prima iram Dei separatim spectauimus, & peccati deformitatem expendimus, ita nunc illam vnà in secundæ consideratione examinemus.